

R.H.  
419  
33

(X 87 7508)

120  
II i  
1710

HERMANNI CONRINGII  
EPISTOLA

DE ELECTIONE

ALEXANDRI VII  
PAPAE

Opposita Appendici

EXAMINIS ERBERMANNIANI.

*Accessit Appendix ipsa.*



BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE (SAALE)

HELMESTADII  
Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typog.  
Anno MDCLV.






HERMANNI  
EPISTOLA

R. M. M. M. M.  
ALEXANDRI VII

P. A. P. A.

OPUS

IN



HERMANNI

OPUS

IN





3  
HERMANNUS CONRINGIUS

*Admodum Reverendo*

V I R O

P. N. N. O. B.

Amico suo

S. P. D.



Uam misisti Appendicem Erbermannianam & recte accepi & qua par est cura expendi. Quir hæc ipsum Erbermanni librum anteverterit, aut quare hanc præ ipso libro festinata missione in manus nostras venire voluerint Socij, non satis assequor. Si libro ipsi præferenda Appendix est ipsismet illis iudicibus, exigui profecto ille momenti sit oportet. Si voluerunt ex hac appendicula libri æstimationem abs me fieri, atq; adeo agnosci ex ungue leonẽ, assecuti sane sunt quod speravere. Agnosco enim unguis non leonis quidem, sed cuiusdam quasi leonis aut leoninam saltim induti. Agnosco inquam Erbermannum meum, plane qualem se illi mihi hætenus semper probaverat, ineptum disputatorem, per aliena vagabundum, maledicum, jaëtandum & ferocem. Vnum didici quod ignoraveram, eundem esse non calumniandi tantum sed etiam parasitandi insignem artificem: idoneum proinde qui in eadem scena mutato habitu nunc Thraionem nunc Theritem agat nunc Gnathonem, quæ raraverfatilis & capacis ingenij dose est. Si liber itaque ejusdem cum Appendice est indolis, jam scio etiam illum non abire à solito, sed



antiquum obtinere, τὸ πατρὸς γήσιον παῖδα: atq; adeo non esse, quare aut metuam aliquem ictum veritati, aut eximium aliquid mihi exspectem.

Statim initio ultimam meam Responſionem Valeriano Capuccino oppositam pronunciat *mordacem* esse & *virulentam*. Fateor omnem de virtute sermonem gravem mordere improbos, vel ut Poëta ait *mordaci radere vero*: utque Laëtantius inquit, *vulnerant aures eorum qui libidinum stimulis incitati in furias ignemq; ruunt præcepta continentia*. Hactenus *mordacem* libellum meum esse non diffiteor: Erbermanno scil. & Erbermanni similibus Papali superstitione ulceratis animis. Nec penitet: cum sordida & fæda ejusmodi ulcera animorum curari nequeant, nisi aspergas quod mordeat. Quid vero libello inest *virulenti*? Sed & quid Vito cum isthoc libello rei est, qui ad Valerianum pertinet, hic vero *oderit Ecclesiam malignantium*, qua voce quos ille significaverit non ignorat utique Erbermannus? Non diffiteor sub finem libelli allocutum me quemvis Benevolum lectorem, rogasseque ut diligenter attenderent ad ea quæ dum isthac scriberem Romæ agitabantur: at nec benevolus mihi est Vitus, nec ad ea quæ proposueram voluit attendere. Vnice sane videtur captasse occasionem in novi Pontificis gratiam sese insinuandi, quo præmium capiat rei pro causa Pontificia adversum me, hæreticum scil. hominem, bene gestæ: eoque arripuit illa mea quasi ijs sigillatim Alexandrum læsissem. Cæterum nec ego teorsim Alexandrum illum petij: & quæ habet Appendix isthac adeo sunt frivola, inepta, partim quoque impia, ut si ijs quidem Alexander contulerit præmium aliquod, imò si non castigaverit hominem, indignum profecto facinus commiserit.



5  
ferit. Non equidem inuidebo Vito vel purpureum gale-  
rum: mirabor tamen si non in acrem reprehensionem po-  
tius incurrerit. Si sane is est Alexander qualem ipse Vi-  
tus laudat, saltim oleum & operam, quod ajunt, Vitus per-  
didit, & vix impetraverit mitram sine duobus tintinna-  
bulis.

Quid enim, Amice? Proposueram ego Lectori at-  
tendenda, brevi quidem sermone, at numero multa &  
pondere gravissima. Nonne itaque par erat, vel confu-  
tare illa omnia, vel callide seponere ac dissimulare? Vitus  
vero mea pene omnia producit magis in publicum, atq;  
adeo offert quasi expendenda etiam ijs quibus per leges  
mea inspicere alias erat vetitum; eorum vero omnium non  
nisi unicum tangit idque inepte. Quæ isthæc hominis  
imprudencia est? Nonne caute per Iudices prohibitorum  
librorum nostra manibus vestrorum plærorumque excu-  
tiuntur, ne vi rationum trahantur in nostras partes, aut,  
uti vos opinamini, decipiantur? Equidem Deo gratias  
ago, qui *eversa sapientia sapientum* Sociorum, isthæc mea  
legi fecerit, ubi legi non poterant: nec enim dubito  
sperare hinc veritati suum fructum: at vero Vitum me-  
rito jubeas *μακρὸν κλαίειν*, & lugere commissam stultitiam.  
Iterum sane rogo quemvis lectorem, atque adeo etiam  
Te, mi Amice, quoniam Vitus ad illa attendere præ-  
animi morbo (qui forte *ἡλιότης* est) non potuit, saltim  
tecum alij cum cura, implorato Sp. S. auxilio, expendant:  
quæ ordine nunc subjicientur.

1. Num verosimile, cui videatur, posse principium Fidei  
Christiane & caput quo unice animanda est Ecclesia,  
interdum plane nullum reperiri, salva interim & Ec-  
clesia illa & Fide?

A 3

2. Num



2. Num hominem caducum & mortalem verosimile est fundamentum esse perpetui corporis, quale est sancto Dei Ecclesia?
3. Num, quem Cardinales eligunt Papam, illum Deus jure aliquo aeterno tenetur agnoscere suum in terris infalibilem Vicarium?
4. Annon in Dei liberrimo est arbitrio collocatum quem ille velit talem suum vicarium (sc. quem velit & quemadmodum velit) constituere?
5. An hominibus fas est tales Dei vicarios creare, si ipse iis non fecerit hanc creandi potestatem?
6. Annon gravissime peccant qui nulla accepta potestate audent sibi Vicarios Dei constituere?
7. Annon pie agunt, qui tale facinus, & tali facinore creatum Vicarium detestantur?
8. An Cardinales queunt exhibere signum aliquod certum mandati divini de creando Dei vicario?
9. Num verosimile est, Spiritu S. afflari Cardinales in factiones & in illa consilia de inveniando commodo suis desideriis secularibus Pontifice?
10. Num ad illum modum Apostolos & Prophetas Deus Opt. Max. misit in mundum?
11. Annon Deus singulos Prophetas suos & Apostolos ab ipso orbe condito immediate elegit, & misit?
12. Annon Papa, si est Vicarius Dei, ratione illius muneris major est omnibus Prophetis & Apostolis, uno excepto S. Petro?
13. An verosimile est Vicarium Dei rite constitui modo aliquo, qui longe est inferior illo, quo electi olim fuere Propheta & Apostoli?
14. An si Deus voluit ab hominibus eligi suos Vicarios, verosimile



visimile est non simul indicasse eligendi modum, quo homines queant vitio creatos atq; adeo Vicarios falsos à veris & rite electis discernere?

15. An non de creatione Vicarij divini nihil omnino est hominibus revelatum?
16. An non si Deus neq; ipse immediate elegit Vicarium nec iussit ab hominibus eligi, eo ipso indicat nemini sese vices suas committere?
17. Num vulgo in Paparum electionibus quidquam videas quale non solet fieri in electionibus maxime secularibus?
18. An non multi Papa vitio creantur per Simoniam aliasq; vetitas artes?
19. An non tales electiones sunt illegitima & ipso jure nulla?
20. Annon talia electionum vitia ita saepe occultantur ut in vulgi conscientiam non veniant?
21. Annon qui per Simoniam quamvis occultam creatur, est falsus Pontifex?
22. An non talem Pseudopontificem discernere, moraliter saltem plerisq; hominibus impossibile est?
23. An Deus velit coli solos veros Vicarios suos, & tamen non indicari signa quibus veri à falsis distinguantur?

Acrida sunt hæc, dixeris forte, & mordacia. Non nego talia esse putrido ulcere laboranti animo: at pio, & sano & sapienti sunt suavissima. Erunt etiam tibi, Amice, jucunda, ubi Spiritus S. beneficio probe usus hæc excusseris. Quod Vitus oculos hinc maluerit claudere quam intendere, culpa illius est non sane levis. Absit vero ut quis illius exemplo sese suaque in æternum exitium præcipitet.

Vnum tamen & quidem id quod septimo decimo loco  
pro-



proposui possit videri Vitus revocasse ad animū. At vero  
 quantillum hoc est præ reliquis? Esto: ea in re aberraverim.  
 Quanti nodi supersunt in ijs quæ antecesserunt? Si illud unum  
 momordit Vitum, arguit latentem in animo morbum. Nempe  
 Alexandro Papæ duntaxat adulandi occasionem quæsit homo: qua  
 inventa, ut rebatur, reliqua maluit prætervidere. Verum enim vero  
 ne hoc quidem adeo tangit Vitus, quam id quod dixeram; *agitari*,  
 quo tempore isthæc commentabar, *in Conclavi inter Cardinales de novo  
 Papa eligendo, idq; magno animorum aestu, & per factiones, non quo  
 inveniant Episcopum peritia rerum sacrarum & vitæ sanctimonia  
 eximium, sed qui sit commodus magnorum Regum ac Principum  
 ut & Cardinalium secularibus desideriis.* Et vero unum hoc improbari,  
 credidit ille interesse famæ Alexandri. Sane manifestum est, posse hoc  
 improbari admissis meis omnibus alijs. Quidni enim *vulgo in  
 Paparum electionibus nihil viduas quale non solet fieri in  
 electionibus maxime secularibus, & tamen nunc demum melior  
 fuerit fortuna Conclavis? Perinde nimirum atque, si credimus  
 Vito, quod aliquot retro seculis non vidit Roma, nuperrimum  
 Conclave spectandum præbuit.* Vera autem esse illa mea, probant  
 historiæ electionum Papalium vulgo omnium, non *in Pasquini & Marphorei  
 officina* natæ, sed profectæ à viris dignitate & fide maximis,  
 gnaris arcanorum Conclavis, idque à seculis jam plurimis. Dedi  
 nuper historias binas electionum Urbani II<sup>X</sup> & Innocentij X: sunt  
 ad manus complures aliæ quas itidem publicabo, si visum fuerit  
 pretium operæ, aut id urserit meus Vitus. Sane omnium fidem  
 vocare in dubium est fidem omnem historiæ denegare fronte  
 perfricta. Et vero qui aliter sese habeant electiones istæ,  
 quum



9  
quum agatur in ijs de eligendo Principe potentissimo se-  
culari, armato divitijs summis, præmijs & pœnis infinitis,  
omnigeno apparatu bellico, foederibus, & quod maximum  
est illa de Vicariatu divino vulgi opinione, idque non  
tantum intra status Ecclesiastici, qui appellatur per Ita-  
liam limites, sed late per Europæ pleraque, etiam Regi-  
bus ipsis Principibusque subdita. Tanti sane Principis  
electio, ut à morbis illis qui seculares electiones infestant  
sit vacua, moraliter (ut ita loquar) vix possibile est.

At in electione Alexandri VII longe sanctius omnia  
acta, dixeris cum Erbermanno, eoq; abs me perperam ac-  
cusatum illud etiam Conclave, de *factionibus*, de *animorum*  
*astu*, de *Cardinalium secularibus desideriis*. Cæterum ô bone,  
annon hæc vox fuit per trimestre integrum publica? an-  
non chartæ ex ipsa Roma missæ, non à Protestantibus so-  
lis aut ad Protestantes solos, hæc locutæ sunt oribus ut  
ita loquar pene infinitis, idque per Italiam Galliam Ger-  
maniam alibique passim? annon id loquentes chartæ  
passim sunt publicatæ in vulgus, non à solis Protestantibus  
sed etiam à vestrarum partium hominibus? Quid me ist-  
hæc tum scribentem potuit movere, ne voci populi  
& publicæ haberem fidem? Vtique talis omnino facies  
hactenus fuerat Conclavium communis. Quur tum  
existimare vel debui vel potui, præter morem insolita  
quadam sanctitate Conclave illud imbui, & quidem li-  
cet reclamaret fama publica? Cogites igitur quam inique  
mecum agat Vitus. Ait, me *rumusculos in officina Pasquini*  
& *Marphorei enatos captasse, nec sine auctario iniquissima fame*  
*mendacia typis evulgasse*. An *rumusculi* fuerunt vox com-  
munis illa & publica & per integrum trimestre protracta  
ac continuata? Quid ego voci illi publicæ addidi? Non-  
B ne illa



ne illa omnibus septimanis denuo aliquoties passim terrarum fuit uno consensu repetita, de Cardinalium factionibus, animorum æstu, & studijs secularibus in magnorum Regum usus? An tam consentienti famæ credere est hominis *imprudens*, imo *impudens*? an narrare quod ita accipitur est *maledici*, est *profani*, est *Momi*? Si ego eam culpam commisi: commissa eadem est (scio) ab aliquot millibus etiam partium vestrarum. quos omnes tamen Vitus tetris istis convitijs non proscindet. Adeo hic etiam verum est: *duo cum idem faciunt idem non est*. Nonne vero Vitus ipsemet diserte scribit, in creando Alexandro *concordiam suffragantium* fuisse *miram & RARAM*, quodq; ab aliquot seculis non vidit Roma nuperrimum *Conclave spectandum dedisse*? Quæ culpa quæso est, si hariolando non assequaris *rem miram, raram & ab aliquot retro seculis non visam*, idque contra perpetuum famæ consensum? Igitur, mi Amice, ut vera sint illa *nova & rara & aliquot seculis non visa*, quæ persuadere nititur Vitus nuper contigisse; ego tamen adeo acrem & sævam reprehensionem non merui. Imo ne quidem est, quare propterea me deberet *pœnitere vel pudere*. Vacat enim culpa si quid erroris subsit: non est autem viri *prudens* pudere nullius commissæ culpæ, sed ejus qui *mentem exiit*.

Quæso vero te, num existimas illa *mira & rara & aliquot seculis non visa*, quæ Vitus refert, veritati esse consentanea? Num famæ adeo constanti, adeo vulgatæ, minus fidendum est, quam uni illi Vito? Mi Amice, brevi forte (imo, si ita vis, spondeo) in publico videbis arcanam historiam omnem illius *Conclavis*, famæ, cui ego cum tot millibus credidi, unde quaque consentaneam, profectam ab eo qui rebus interfuit.

*pœnite-*



*pœnitebit & pudebit* Vitum tot immerito in me sparsorum convitiis, & tam ridiculæ de *mira illa & rara concordia* jactantia? Sane *non potest non illum pœnitere jam nunc & pudere, nisi una cum fronte mentem omnem exuerit*: ut liceat homini sua reddere.

Expende interim fodes, Vir Reverende, annon ipse Vitus jam tum male metuat suæ causæ: quando negat *votorum discrepantiam reprehensionem mereri*, eamque excusat illo quod inter *viros sanctos & beatas mentes est subinde sententiarum divorcium*. Adeo nimirum est manifestum, in varias partes iisse Cardinales, ut hanc, etsi inanem, excusationem Vito res ipsa expresserit. Inanem appello. Quid enim illud Principis Persarum & Archangeli Gabrielis dissidium, quid Pauli & Barnabæ dissensio facit ad excusanda ea quæ in Conclavi sunt partium studia? Heu quanta impietate criminibus hominum palliandis fundandisque obtenditur levicula Sanctorum imbecillitas! Mi Amice: Videt hoc Dominus, & vindicabit innocentiam suorum sanctorum. Mihi sine causa tanto cum æstu illa opponit Vitus. Sine factionibus & studiis secularibus scio electiones Paparum institui non posse; quod humani vitij nequeat esse alienum quidquam à conventu hominū de humanis caducisq; rebus contendendum. Non tamen persuadebit Vitus: *Spiritu S. afflari Cardinales in factiones, & in consilia de inveniendis suis desiderijs commodo Pontifice*: Aut, ad illum modum *Apostolos & Prophetas olim à Deo in hunc mundum missos*. Mirabor frontem hominis, si id vel conatus fuerit persuadere. Dissuadebis tu prudenter, si tentaverit.

Enimvero hoc tantum volui: verosimile non esse, in Conclavi eligi Vicarios Dei, quum illæ electiones per factiones & studia secularia instituantur,



tur, modo ab Apostolorum & Prophetarum electionibus toto cælo dissidente: non vocavi in dubium num ita possit Princeps commodus eligi, imo non multo aliter subinde tales legi, ultro fateor. Et vero quoniam me non sine convitio remittit Vitus ad Sanctum Medicum & Evangelistam Lucam ejusque historiam Apostolicam, jube quæso illum meo nomine, legere vicissim quæ in eadem historia c. 1. habentur de electione S. Matthiæ, (ne quid nunc dicam de cœlesti illa vocatione ad Apostolatam S. Pauli) eamque cum Alexandri vestri electione contendere. Erant in cœnaculo homines quasi centum viginti: in Conclavi nupero Cardinales sexaginta septem, si recte memini. In Conclavi tanto in numero viginti fuerunt (*exemplo aliquot retro seculis insolito*) si Vitum audimus digni Sede Papali: in cœnaculo saltem septuaginta amplius erant idonei constitui testes actorum Domini. Vnanimi consensu in cœnaculo illico & quasi in momento ex hisce duo eliguntur, mox à precibus per sortem unus constituitur. Quæ causa, quare ut Alexander *inveniretur*, fuerit *tam operosa & fere ad trimestre extracta conquisitione opus*? An quod Cardinales *quæsierint Pontificem optimum*; quod caussetur Vitus? At quæsi verunt quoque *optimum* omnium & maxime idoneum illi in cœnaculo? An quod viginti amplius fuerint digni qui *in Sede Petri collocarentur*; quod iterum obtendit Vitus? At longe plures fuerunt idonei in cœnaculo. Quæ causa ergo, Amice, illius adeo citæ hujus usque adeo lentæ electionis? Forte erubescis confiteri; liceat ergo mihi dicere. In cœnaculo abfuerunt omnino studia secularia, quod ageretur de persona constituenda quæ ex dignitate isthac Apostolatus nihil honoris aut commodi mundani vel sibi poterat capere vel alijs concedere:

cedere:



cedere: at in Conclavi actum fuit de constituendo aliquo summo Principe, & à quo Reges maximi eorumque clientes Cardinales, imo Cardinales in universum omnes, usum aut noxam vel sperare poterant vel metuere; hinc in factiones hinc in partes est itum, ut vix trimestre tædium Conclavis vel carceris unam tandem sententiam potuerit exprimere. Quam facile enim possit electio Papæ, ut in coenaculo factum, sorti divinæ committi, & quam citissime finiri, absque ijs studijs esset?

Vt possit igitur forte probare Vitus, Conclave nuperum satis feliciter & rite dedisse vobis *Alexandrum* Principem & *Pontificem maximum*: nequaquam tamen probaverit, satis rite illud dedisse nobis Dei vicarium, Prophetarum universo ordine & Apostolis omnibus (uno Petro excepto) longo intervallo ex Dei instituto majorem.

Ne quidem est quare adeo gloriatur de *mira* Cardinalium & *rara* si quæ fuit concordia, quasi; illa *cacodoxis omnibus* *Luthero* & *Augustana confessioni* *mancipatis* (eis cogno-  
mentis honorat Protestantes a laistor) *plane sit inimitabilis*. Unde quæso hoc novit ille? Thraconi divinanti quis prudens crediderit, rerum omnium inexperto? An insolens est, etiam *Cadmaos fratres*, metu imminentium malorum majorum, aut tædio longo fractos tandem in unum subinde consentire? Adeone imperitus est Papalium rerum Vitus, inter Socios tanti nominis Theologus? An nescit quid valeat ad componendos frangendosque quamvis summe discordes animos, Conclavi includi? An ignorat in eum usum Conclave institutum prudentissimo Gregorij X consilio? Compingantur in unum angustum & insalubre Conclave quamvis valde sententijs dissidentes fratres, nulla spe facta libertatis nisi post consensum;



sensum; iidem si opus sit terreantur maioribus malis;  
*miram illam & raram concordiam* nemo desideraverit. Mo-  
 vet me hæc res, ut tibi recitem aliquid ex ijs, quæ Onu-  
 phrius Panvinius, Ord. Eremitar. monachus eruditione  
 & prudentia longe clarissimus, rerum Pontificiarum pe-  
 ritia nemini secundus, narrat ad Platinam de electione  
 Gregorij X qui primus Conclave instituit. *Clemente IV*  
*mortuo vacavit Sedes propter Cardinalium discordiam annos duos*  
*mensibus novem & diem. Eo porro vita functo Cardinales, qui tunc in*  
*curia Romana presentes erant numero septemdecim, in creatione*  
*futuri Pontificis dissentire cœperunt, electionisque ratio adeo dis-*  
*cordiis agitata est, ut prope in triennium protraheretur. Sæpius*  
*siquidem congregati negocium conficere nulla ratione valere,*  
*dum unusquisque ipsorum ad Pontificatum aspirans, nemini cedere*  
*veller. Quo interim tempore ad curiam Romanam Viterbium*  
*venerunt Philippus Francorum & Carolus Siciliae reges, colle-*  
*giumq; pro celeri & matura Pontificis electione rogantes, parum*  
*profecerunt, sed rebus infectis reversi sunt. Tunc Joannes epi-*  
*scopus Cardinalis Portuensis videns Cardinalium pertinaciam,*  
*iis in comitio existentibus & Spiritum S. invocantibus, publice*  
*dixit: Domini, discooperiamus tectum camerae hujus, quia Spi-*  
*ritus S. nequit ad nos per tot tecta ingredi. Qui etiam cum Papam*  
*Gregorium renunciatum animadvertisset, hos de ejus electione*  
*versus edidisse fertur:*

*Papatus munitus tulit Archidiaconus unus*

*Quem patrem patrum fecit discordia fratrum.*

Postremo post longissimum duorum annorum mensiumq; novem inter-  
 regnū, quod maximo rei publ. Christianæ malo fuit, à Viterbiensibus  
 propemodum coacti, cum discordantibus animis ut unum ex se eli-  
 gerent fieri non posset, tandem per viam compromissi in sex Cardi-  
 nales facti in Pontificem maximum renunciaverunt Theobaldum

Vicco-



*Vicecomitem, extra Collegium Cardinalium & absentem.* Ha-  
 tenus Onuphrius. Videsne Amice Cadmaeos fratres? Vi-  
 des quantum potuerit tandem post triennium in illos sola  
 Viterbiensium violentia? Quid si accesserit Conclavis  
 molestia, cum nulla meliorum expectatione?

Verum quid est tandem quo persuadere nobis vult  
 Erbermannus, omnem illam publicam famam de factio-  
 nibus Cardinalium partiumque studijs, queis nuperrimum  
 Conclave more solito laboraverit, esse inanem, & ipsi  
 uni *raram & miram Cardinalium concordiam* jactitanti esse  
 potius credendum? Neque vero is est Vitus cujus vocibus  
 tuto credas sine praevio examine. Fumos fateor video &  
 multum pulveris: audio *ὕπεργυ πρὸς τὴν ἐργυ* jactas nunc glorio-  
 fas nunc maledicas nunc minaces voculas: at rationem  
 qua Vitus suis clamoribus fidem faciat non nisi unam,  
 eamque plane qualem depingit suam Conclavis concor-  
 diam, *raram* videlicet & *miram*. Ita loquor, quod nemi-  
 nem intelligentem viderim haecenus tam inepto usum  
 argumento, mirerque Vitum meum, illum Theologo-  
 rum inter Socios primipilum, non dubitasse in publica  
 disputationis palæstra cum amentatis ejusmodi pilis in  
 me incurrere, & famam publicam constantissimam velle  
 confodere. Non in partes & factiones iverunt scil. in nu-  
 pero Conclavi Cardinales, non fuerunt solliciti de secu-  
 laribus desiderijs vel magnorum Regum Principumque  
 vel suis explendis: quare vero? quia *ὁμοθυμαδὸν* elege-  
 runt Fabium Chisium *velut omnibus* (sui collegij, videlicet)  
*ingenia, eruditione, pietate, prudentia, gloria, eminentiorem.*  
 Ita meus Vitus. Integræ argumentationis Major propo-  
 sitio hæc fuerit.

*Quicumque ὁμοθυμαδὸν elegerunt Papam illum qui omnibus*  
*Cardina-*



*Cardinalibus ingenio, eruditione, pietate, prudentia,  
gloria eminent; ij non laboraverunt factionibus nec curis  
secularibus fuerunt intenti.*

Subjicere mihi liceat hanc minorem:

*At qui creaverunt Gregorium X, elegerunt Papam illum qui  
omnibus Cardinalibus ingenio, eruditione, pietate, pru-  
dentia, gloria eminebat.*

*Ergo qui Gregorium X creaverunt, non laboraverunt factio-  
nibus nec curis secularibus fuerunt intenti.*

Conclusionem à vero plurimum abire jam tum ex Onu-  
phrio audivisti. Audi jam quoque ex Platina laudes Gre-  
gotij X, paucis quidem (ceu decebat virum gravem) non  
autem Erbermannice, densis tamen sententijs compre-  
hensam. *Vir certe in omni vita clarus, prudentia rerum ge-  
rendarum, fortitudine animi, qua pecunias & res humiles con-  
temnebat, humanitate, clementia, benignitate in pauperes Christi  
& eos potissimum qui ad gremium Sedis Apostolicae confugiebant.*  
Numquid majus de Alexandro mortuo dicturam existi-  
mas posteritatem, remotis jam adulationis causis? annon  
præluxit virtute illis discordantibus adeo Cardinalibus?  
Non itaq; poteris Minorem meam vocare in dubium. Non-  
ne ergo patet, Majorem illam propositionem mei Viti in-  
eptam esse? Ego vero possum tibi ex sola Pontificum hi-  
storia talia exempla complura dare. Plurima suggerunt  
passim electiones Episcoporum, Cæsarum & Regum. Et  
vero quidni ingens & diuturnum dissidium tandem pos-  
sit finiri placido consensu? sive consensum unanimum  
quidni possint præcedere factiones & varia partium  
studia?

Quid est porro in Alexandro, quod ostendat, in illo  
creando non fuisse habitam rationem secularium deside-  
riorum



riorum Magnorum Regum & Principum? Notum est, cum primis Hispanum, Gallum, & Hetruscum id dare operam solere, ut suis rebus saltim non incommodum Pontificem inveniant. Et vero eorum interest: cum Papa sit potentissimus Princeps, cujus potentia per ipsas eorum ditiones altissimas radices egit, ne quid dicam de vicinitate. An Alexander ante Papatum ostendit, ulli horum se gravem fore? Non utique. Ipse Vitus affirmat, neminem illum potuisse *aversari*, & nunc *de ejus electione nullo discrimine gaudere universos*. Commodus itaque creditus est secularibus desiderijs Regum & Principum, qui Cardinales plerosque sibi obnoxios habent. Considera sodes, qualem à Regibus illis desiderari Papam, jamdudum notaverit Ioan. Franciscus Lottinus Episcopus Volaterranus, ille Marcelli II Papæ amicus summus, in Consilio quod de Conclavi conscripsit. *In Pontifice (inquit) quidem eligendo aliis studiis Principes & Prælati Ecclesiastici, aliis Seculares ducuntur. Hi quidem quantumvis Catholica religionis sint studiosissimi, magis tamen propria utilitatis respectu moventur. Idcirco Pontificem plerique malunt, qui animo timido sit & sollicito, quam prompto ac vehementi; ut bonis Ecclesiasticis, quæ in ipsorum sunt dititionibus, tanto liberius uti frui possint. Quod si vel Rex Franciæ, vel alius quis Princeps Pontificem desiderent, qui animo magno sit & elato, non equidem ideo faciunt, quod Sedis Apostolicæ dignitatem auctam cupiant, sed ut eorum consiliis ad res in Italia novandas utantur. Hispaniarum quidem Rex, alique Principes, qui ditiones suas pacifice possident, Italia quieti unice student; ac propterea iis, qui illustri prosapia, magnisq; opibus subnixi inquieto sunt animo, minus favent: quod idem sine dubio Rex Franciæ, si tantum terrarum in Italia possideret, factururus esset. Quoniam vero quietis in Italia conservan-*

C

da præ-



de præcipuum momentum in tali Papa est positum, qui humilis sit conditionis, ac nullis factionibus addictus: solent iidem omnium hujus farinae Cardinalium favorem, quibus possunt officiis sibi conciliare, eosque obnoxios sibi facere. Hæc Lottinus. An non vero ipse Vitus meus plane talem depingit Alexandrum, qualem velint illi qui publicam tranquillitatem desiderant? Quare igitur in dubium vocat famam publicam de studiis Cardinalium, Hispanicæ cum primis & Gallicæ factionis, etiam ultimo hoc Conclavi in usum Regum æstuantibus?

Vide mihi porro quas virtutes in Pontifice Cardinales sibi metipsis ex petant. Cum plures, inquit idem Lottinus, sint Probitatis sive Virtutis partes, eæ Pontifici futuro magis necessariae existimantur, quæ aliorum serviunt utilitatibus & commodis, ut sunt Beneficentia, Comitas sive Affabilitas, Justitia & similes. Parsimonia enim, Temperantia, Continentia, & aliæ quibus homo se ipsum regit, laude quidem dignissimæ sunt virtutes, at multo magis in Principe eæ desiderantur, quibus magnitudo ejus aliis quasi communicatur. In eandem sententiam scribit auctor ille Anonymus qui electionem Sixti quinti narravit. Quarum à Cardinalibus ratio habetur virtutes, illæ sunt quæ alteri prosunt, ut Justitia, Affabilitas, Mansuetudo, Beneficentia, Facilitas in communicanda sua cum aliis dignitate, simileque aliæ. Cæteræ enim virtutes animique perfectiones, ut Temperantia, Continentia & quæ sunt hujus notæ aliæ, minus hic requiruntur. Ac propterea raro eligi videntur, quibus multi & magni cognati vel propinqui: ne scilicet illis locupletandis & evehendis beneficentiæ fontes aliis claudantur. Et Cardinales Pontificem desiderant, non qui ipsos amet tantum, sed qui causas habeat ipsos amandi. Ita illi. Annon vero meus Vitus plane ab hiis virtutibus maxime commendat Alexandrum? Dixeris forte cum Vito, Alexandrum simul etiam eruditione & pietate



rate omnibus alijs Cardinalibus antestare. Esto. At qui probaveris, pietatis & eruditionis nomine illum Cardinalibus adeo placuisse? aut illarum virtutum ergo electum in Papam esse Alexandrum?

Sed & mi Amice, quis Vito ausit tuto credere Alexandrum laudanti? Et vero probe literis & variis artibus imbutū esse Alexandrum, novimus ex multorum præclarissimorum virorum præconijs, ijsque non inelegantibus poematibusquæ sub Philomathi nomine prodierunt. At omnibus illum Cardinalibus *eruditione* præstare, vereor ut possit Vitus sine injuria saltim Cardinalis Lugo Socij sui profiteri. A sacrarum rerum singulari peritia (quæ laus propria est Episcopi) hætenus illum commendari non vidi. Ut nec solet illa viam ad Papatum munire jam ab aliquot retro seculis. Et vero jamdudum Pontificum plerique aut fuere indocti, aut caufidici vel Politici: Theologis ad honorem illum gradus omnis tantum non præclusus fuit. Perinde atque ab alijs Ecclesijs majoribus administrandis curia Romana, sicubi conferendi illud sacrum munus potestatem habuit, theologos dudum exclusit. Quæ de re ita scripsit jam Ludovico IV Cæsare Marsilius *parte 2. c. 24.*

*Defensor. Quibus de plenitudine potestatis conceduntur majores Ecclesie dignitates, & qui ad has gubernandas sufficientes putantur, caufidici sunt. Hos enim tanquam utiles dignificat Romanus Pontifex & Ecclesie defensores, qui pro temporalibus conservandis vel amplius usurpandis contendere norunt, sacre vero Theologie doctoribus tanquam inutilibus rejectis. Non adeo pridem conquestus est quoque in Italia ipsemet C. Scioppius: Palam est (inquiens) majorem eorum partem, qui hodie vel maximis in Ecclesia dignitatibus præsunt, & unctissimis Episcopatibus atq; sacerdotiis fruuntur, quantumvis juris ac legum*



noritia tinctos ad eos honores opesq; pervenisse; ceterum Hebraice  
 Græce ac Latine indoctissimos, tum Sacrarum literarum non magis  
 quam Scythici aut Iaponici sermonis intelligentes esse. Quamvis  
 enim S. Paulus cum qui velit esse Episcopus Doctorem esse jubeat,  
 qui scil. aut ab infantia sacras literas didicerit, aut saltem in Lege  
 Domini die ac nocte meditetur: tamen adeo res hodie redijt, ut  
 qui Theologia Doctores sit vix nomen inter Episcopatum candida-  
 tos profiteri audeat. &c. Idem non dubitavit sub ficto  
 Alphonsi Vargæ nomine c. 4. de Urbano II. tum vivo  
 scribere: Doctorem non dicam, cum Theologiae ne discipulus qui-  
 dem unquam fuerit.

Nolim tamen quidquam Alexandro detractum me-  
 ritæ laudis. Virtutem & doctrinam in omnibus amo:  
 & quoniam harum nomine multorum animos Alexan-  
 der sibi conciliavit, hætenus & ego suspicio illum ac ve-  
 neror. Imo cum in Magnorum hujus orbis Principum  
 ordinem jam est evehctus, etiam pro salute illius Deum  
 obsecro, quo alijs nobis tranquillam ac quietam vitam liceat  
 degere cum omni pietate & honestate. Non sustineo ta-  
 men in ejus laudes foede adeo sese effundentem Erberman-  
 num: imo si Alexander est laudum suarum fastidiosus auditor  
 (quod ipse Vitus fatetur) turpem illum adulatorem, ceu  
 decet Principem erectæ indolis, ex merito castigabit. Ab-  
 sit enim ab Alexandro, ut

*Vitus adulator picto cubet ebrius ostro.*

Aulis omnibus plurimum semper nocuit, nulli autem  
 magis quam Romanæ, blandum & familiare vitium adu-  
 latio.

----- Nihil est quod credere de se

Non possit cum laudatur Diis æqua potestas.

Prudentissimi Principum tanquam pestem vitaverunt  
 adula-



adulatores & iusserunt exesse. Trajani Cæsaris in laudem perpetuam ipsemet ante Domitiani maximus adulator Martialis hoc iusit epigrammate.

*Frustra blanditiæ venitis ad me,*

*Attritis miserabiles labellis.*

*Dicturus DOMINVM DEVM QVE non sum.*

*Fam non est locus hac in urbe vobis.*

*Ad Parthos procul ite pileatos;*

*Et turpes, humilesq, supplicesq,*

*Pictorum sola basiate regum.*

*Non est hic Dominus sed Imperator,*

*Sed justissimus omnium Senator:*

*Per quem de Stygia domo reducta est*

*Siccis rustica Veritas capillis.*

*Hoc sub Principe, si sapias, caveo*

*Verbis, ROMA, prioribus loquaris.*

Speremus igitur, saltim Trajani exemplo, Alexandrum aliorum de se verbis impositurum modum, quo tandem aliquando discat Roma loqui veritatem. Et sane quam est indecens, hominem Theologum, religiosum, Socium Iesu, à quo utique nihil nisi grave & sanctum expectes, adeo turpiter blandiri illi, quem credit *virum secundum cor Dei, fastidiosum laudum suarum auditorem, imo Vicarium esse Christi!* Ludere hyperbolis ejusmodi liceat alijs: Erbermannum non decet.

Homo est Alexander, nec ab illo humani quidquam alienum: *æternum devota mentis anathema*, soli Deo fas est appendere. Nec vero pia auris fert illud: *Dominus Deus noster Papa*, etsi illud in glossa Iuris canonici toleraverit ipse Gregorius XIII.

Iam quid est illud: *Jure Alexander?* quam vanum

C 3

& in-



& ineptum! Num enim in illo nomine aliquid est eximij collocatum? At vero S. Paulus conquestus est de Alexandro 2. Timoth. 4. 14: *Alexander, inquit, ararius multa mala mihi ostendit: reddat illi Dominus secundum opera ejus: quem & tu devota: valde enim restitit verbis nostris.* Is qui Alexander Sextus audivit Papa homo fuit turpissimus, impiissimum monstrum. Vt multi prudentes mirentur, salutare illud quondam Romanæ rei nomen Fabij ab hoc Papa mutatum, (contra quam factum ab Adriano sexto & Marcello II queis seculum superius meliores Pontifices non vidit,) & quidem mutatum in Alexandri: quo non potuit non memoria refodi illius hominis, *in quo non sinceritas, non pudor, non veritas, non fides, non religio; draco, qui immoderata ambitione & pestifera perfidia, omnibusque horrenda crudelitatis, monstrosa libidinis, & inaudita avaritia exemplis, sacris & profanis rebus abq; discrimine venditis, universum orbem venenis infecit: ceu de ipso loquitur l. 1. Franciscus Guicciardinus, genere, prudentia, veracitate nemini secundus ejus ævi historicus. An talis Alexander jure est Papa vester? Alexandrum II. III. & IV meliores quidem multo Pontifices habuit Roma: nemo autem illorum non fuit iniquus Imperij juribus, certe ea pro virili fregerunt. Sub Alexandro III! Romana Ecclesia ad maximum in terris fastigium evecta fuit, Imperatore potentissimo Friderico Abenobarbo eoque Ecclesie (reatus curie) Romana infestissimo hoste conculcato, victo, pacemq; ab Ecclesia petere coacto: scribente Onuphrio l. de diacon. episcopatib. & titulis Cardinalium. De illius in Fridericum Cæsarem inaudita superbia quæ feruntur, non credam. Etsi vero vulgo narretur ob benemerita hujus Papæ III in Chisiorum familiam, repetitum Alexandri nomen; non speraverim tamen jure etiam illo voluisse Fabium Alexandrum*



drum dici, quoniam ad exemplum illius, velit typhum  
secularem Romanæ Ecclesiæ cum Imperij aliorumque Re-  
gnorum injuria augere.

Vt sit autem *jure* Alexander; quo *jure* quæso est  
*Alexander septimus*? An agnoscit Vester hic illum qui sese  
dixit Alexandrum quintum, legitimum fuisse Papam?  
Si agnoscit, necessum est, probet quoque Concilium Pi-  
sanum; atque adeo, Concilium Episcoporum sine Papa  
posse & repræsentare Ecclesiam Vniversalem, & Papam  
incommodum munere suo privare, fateatur itidem ne-  
cessum est. Nec enim Quintus ille Alexander legitimus  
fuit Pontifex, si Concilio Pisano non fuit fas Gregorium  
& Benedictum dignitate illa exuere. Iube, sodes, hunc  
nodum expedire Vitum meum. Nec enim ego video  
quî effugere possit vester hic Papa, quin alterutrum pro-  
bet: nempe aut vitio *septimum* se nuncupari quum non  
nisi sextus sit Alexander; aut Concilium Pisanum fuisse  
legitimum, & Concilij Episcoporum auctoritatem majo-  
rem Papali esse; quod in Concilio Constantiensi fuit de-  
finitum, curia tamen Romana hætenus reluctante ejus-  
que partes Iesuitis vulgo strenue defendentibus. Inter  
omnes tamen Alexandros Pontifices nisi vehementer  
fallor nemini similior est hic ipse quam illi quinto. Nam  
& quintus ille, teste quidem Platina, fuit *vir doctrina &*  
*sanctitate vite præclarus*: fuit ab Innocentio Papa creatus  
Cardinalis: *liberalitate & magnitudine animi cum quovis optimo*  
*principe conferri potuit, adeo munificus in pauperes & viros sua*  
*benignitate dignos, ut brevi nil sibi reliquerit.* Speraverim  
tamen prudentius gessurum illum rempublicam quam  
fecit ille bonus Alexander: de quo Theodorici Niemij  
*συγγεγρα* & in curia Romana versatissimi scriptoris judici-  
um ex



um ex libro 3. cap. 52. de Schismate recitarem hoc loco nisi instituti brevitatis id prohiberet.

Et vero videtur Erbermannus allusisse potius ad Alexandrum Macedonem Regem quam ad Pontificum aliquem. Id quod vere est ridiculum. Quo jure enim Papa aliquis Regis illius nomen ambiat? Quo jure id ambiat Fabius Chisius, si ea est virtute qua commendatur à Vito, & passim colitur?

Æque vanum & adulatorium est illud: *maximus merito*: cum ipse Vitus agnoscat, ante Pontificatum Papam non nisi *magnum* fuisse meritis, ex eo autem usque, donec ita adulatus est Vitus, nihil quid præstiterit Papa quo Maximi cognomentum possit meruisse. Ipse Papa Alexander in bulla qua Iubilæum Vniuersale indixit, fatetur, *ad regimen Ecclesie nullo se meritorum suffragio vocatum à Deo*. Cui potius credimus, Papæ an assentatori? Ut sane Papa sit dignitate *Maximus*; non tamen id nomen etiam *meritis* comparavit.

Quam ridiculæ sunt item illæ argutiæ parasiticæ: Alexandro Macedone majorem esse Papam, quod hic pene natus sit *magnus*, ille factus? Magnitudo æstimatur utique vel natalibus, vel naturæ dotibus, vel fortunæ beneficijs, vel virtute. Macedo *magni* nomen meruit rebus gestis. An propterea *minor* est Papa Chisio? Non profecto natalibus, non dotibus naturæ, non beneficijs fortunæ. Quam omnibus hisce minor Macedone est *creatus* hic Alexander Senensis! Quo jure potest ille dici *natus magnus*, ut non longe potiore itidem Macedo ille natus sit magnus?

A vero etiam abit quæ sequitur adulatio: *magni semper eum fecit Italia*. Nec enim Italia sed sola Romani



mani Pontificis aula eum ad honores evexit, nec ad solos *magnos* tamen: nisi quod post aulae ministeria viliora Ferrariae Prolegatum, apud Melitenses Quasitorem, Neritone in Calabria Episcopum illum constituerit, & tandem in Germaniam *Nuncium* Pontificium delegaverit.

Qui *Arbitrator* sederit in eorum hominum quam sapientium tam *dissentientium concilio & controversiae difficillime definator*; aut non satis assequor, aut alienissimum itidem à vero est. Certe in Conventu Monasteriensi procul abfuit ut *arbitrum* egerit Fabius: nisi *arbitrum* dixeris exploratorem rerum gestarum: *definator* certe *controversiarum* inter Caesarem & Gallum vel Suecum, aut inter Hispanum & Foederatos Belgas neutiquam fuit. Compositae illae quidem sunt reluctante Fabio & jussu Innocentij X protestante. Et si omnes illi qui negotijs ejusmodi gerendis fuere pares *magni* cognomentum meruerunt, nihil habet hac in re praecipuum Fabius: multi enim alij praestiterunt idem non minore dexteritate & fide.

Quanta porro cum injuria eorum qui rebus gerendis adfuerunt, Caesarum, Regum, Principum aliorumque missu, conjuncta sunt quae jacit in Politicos Vitus! imo quam injuriosa illa sunt in ipsos Caesares, Reges & omnes Germaniae Sacros & Seculares Principes Ordinesque alios! Nec enim verisimile est, magnos illos Legatos nisi dominorum jussu res illas gessisse: ut ministrorum opprobrium non possit non cedere in dominorum ipsorummet ignominiam. Exprobrare vero disertis verbis non dubitat ille Socius *Politicis, simulates, simulationes, occultas artes, fraudes*, quodque *muneribus tentaverint* Fabium ut *Ecclēsie jura negligeret, & fœdera divinis humanisque legibus contraria probaret*. Forte nec ipsa illa vox *Politicis* vacat inju-

D

ria.



ria. Nec vero quem latet, pessimo more in Gallia quondam coepisse ita cognominari eos, qui pietate & religione spreta omne fas & nefas ex usu aestimare crediti. Certe si *Politicus* Vito est is qui negotia civilia tractat, inepte Politicorum censu exclusit Fabium, qui utique ijs fuit totus immerfus, nec potuit Politicis sese talem ostendere qualem illum laudat Vitus nisi *πολιτικώτατος*. Verum nec ipsis *Amicis* Fabij parcit impurus ille laudator. Hisce enim tribuit, quod *precibus oraverint* Fabium, ut à *rigore justis & æqui* deflecteret. Ita nemini pene non iniquus est, tantum ut argumentum adulationis inveniret.

Expende vero etiam, Amice, quam ille Vitus suum denudet simul Paci publicæ adversum animum. *Fœdera*, ait, *divinis humanisque legibus contraria improbata* Fabio. Novimus quidem, ab illo Fœdera pacis publicæ Monasterij pariter & Osnabrugis inita publicis tabulis damnata; illane vero, iudice quoque Vito, *sunt divinis humanisque legibus vetita?* Taliane ille non dubitat publice profiteri in media Germania, contra leges pacis publicæ, contra sententiam Cæsaris omniumque Principum & Ordinum Imperij, imo & contra sententiam ipsiusmet Eminentissimi D. Electoris Moguntini heri sui? Acceperam jamdudum ex Caramuele, viro doctrina & probitate plane eximio, Theologos Moguntinos prælusisse *ἀσεβείᾳ* Ernesto illi tranquillitatis Germanicæ hosti, ac proinde suspectus pridem mihi fuit Vitus, utpote qui tum Moguntia inter Theologos claro esset nomine: at nunc ille forex etiam in publico se prodit, saltim ut Papæ eo rectius adularetur.

Eadem adulandi libido adegit hominem, ut mox aperte duo contradictoria affirmaret. Ait enim *paucos forte* (loquitur autem de suarum partium hominibus) *amasse*



*amasse animi constantiam* in Fabio: statim subjungit *Vitæ integritatem* in Fabio *Orthodoxos amare coactos*. Vtique enim animi constantia pertinet ad vitæ integritatem, quam, si Vito credimus, iidem & non amaverunt & non potuerunt non amare. Errat autem plurimum Vitus: nec enim *animi constantiam pauci amaverunt* in Fabio, sed impiam pertinaciam tranquillitati publicæ reluctantem, conjunctamque cum *πανολεθεΐα* sacrarum profanarumque Imperij rerum. Ne dubites vero hanc pertinaciam illos, quos *Hostes* appellat Vitus, itidem detestatos esse & *odisse* in Fabio: ut nihil quoque sit falsius illo quod jactat; *miratos hostes suis in eo nihil odii dignum reperiri*.

Quod memorat Vitus, *rogasse* Fabium in Italiam reducem, *ad Neritonensis suæ Ecclesiæ latebras secessum*, recte quidem se habet: ast hoc cum primis nomine debuisset illum laudare. Haud levis enim culpa est in Episcopo, Ecclesiam sibi commissam negligere, & alijs negotijs implicari. Itaque si agnovit culpam Fabius & serio cupijt, post tredecim amplius annorum absentiam, fungi sancto munere, perperam profecto Vitus inter tot adulationes levi brachio rem cum primis laudabilem attigit. Equidem haud dubitem illud numerare inter prima.

Quomodo *Lux mundi* sit Alexander, non assequor. Scimus nos solum Christum veram esse *mundi Lucem*, Apostolos aliosque tantum ideo in consortium aliquod nominis illius venire, quod testentur de lumine illo vero, & doctrina atque opere alijs viam muniant ad illam veram lucem. Sed & num in tenebris jacuit *mundus* Pontificius ante hanc exortam *lucem* Alexandrinam?

*Quid sperare sibi habeat de hoc Patre Germania* equidem nescio. *Patronum profecto non habuit*; quem universa, et-



iam quæ Pontifici favet, experta est pertinacissimum adver-  
sarium suæ tranquillitatis pene cum excidio. Pro-  
testantes multo minus est ut sperent ab illo *paternum* quid-  
cum amarum suum *Zelum*, etsi Vito laudatum, aperte adeo  
semper præ se tulerit adhuc Nuncius Pontificius: Vixq; fa-  
ctus Papa promulgato lubilæo universalis, quod appellant,  
amplissimis indulgentijs propositis omnes in universonum  
sibi addictos provocet ad vota facienda, non contra in-  
fideles, non pro hæreticis convertendis, sed *pro hæresi extir-  
panda*; quæ voces quid portendant sævi non patiuntur nos  
ignorare & tempora antea, & nuperrime in miseros &  
innocuos Albigenes (heu!) commissa Sabaudica laniena.  
Neq; vero Alexandro placet sanctum & ab ipso Christo lau-  
datum consilium illius patrisfamilias, qui zizania ad mes-  
sem usque permisit crescere, ne intempestiva *extirpatione*  
tritium ipsum aliquid caperet detrimenti. Sed quan-  
tum in ipso fuit, adhuc Nuncius, ne ullis cladibus & æ-  
rumnis suæ partis homines adigi sese paterentur ad pacem  
nobiscum ineundam, impedivit, & nunc adeo videtur  
idem sapere, *extirpationem hæresis* moliens: cum igno-  
rare utique nequeat, illius *extirpationis* ipsos primos co-  
natus saltem in ingens discrimen neminem etiam suorum  
non conjecturos. Nec vero ab Alexandro nobis quid-  
quam metuimus, cœlesti numine cum primis tuti. *Si Deus  
pro nobis, quis contra nos?*

Quam imprudenter porro jubet Vito, hoc Pontifice ni-  
hil non fortunatum spondere sibi Ecclesiam Romanam, quem in  
negotiis difficillimis expeditum experta sit Nuncium! An igno-  
rat vetus illud: *magistratus ostendit virum*, & mores cum ho-  
noribus mutari? Ipsa initia magistratus sæpe latissima  
sunt at tristissima catastrophe finiuntur: ut ne ex initijs  
quidem



quidem certo liceat secutura polliceri. Notum est quin-  
 quennium Neronis. Vna Pontificum Romanorum histo-  
 ria talium exemplorum dat affatim. An cui ignotus  
 Bonifacius IX qui *intravit ut vulpes, regnavit ut leu, mor-  
 tuus ut canis?* Iam vero negotia Ecclesiae sunt varia: alia  
 vere Ecclesiastica, alia mere secularia: & agit Pontifex  
 personam cum summi Episcopi tum magni Principis: nec  
 qui hujus idem alterius ordinis negotijs expediendis ido-  
 neus est; raroque fit ut idem Papa sit & bonus Princeps  
 & bonus Episcopus. Multum sane ab his absunt Nun-  
 ciorum negotia: nec omnis qui *Nuncij expediti* laudem  
 invenit, idem post & Pontificem talem sese præbuit. Ad  
 hoc ea est ratio saltim Curiae Romanae, ut à Pontifice quam-  
 vis optimo medelam non admittat. Sit Alexander compo-  
 situs ad exemplum Adriani VI & Marcelli II, imo sit ijs  
 melior: ubi tentaverit tamen Curiae suae seriam reforma-  
 tionem, sentiet quam sint irriti conatus

*Cum mala per longas invalueremoras.*

Conqueretur cum Adriano VI: *miseram esse Pontifi-  
 cum conditionem, ut quibus recte faciendi facultas desit, etiam  
 cum maxime velint, & in id operam ac diligentiam impendant.*  
 Imo forte dicet cum Marcello: *non videre sese quomodo que  
 locum illum altissimum tenent salvari possint.* Enimvero fe-  
 runtur jam tum de Alexandro, nonnulla quidem (si  
 vera sunt) *μικροφιλοπυρία* aut *δεισιδαιμονία* quandam sapi-  
 entia (cujusmodi est quod murrhinis velit coenare non au-  
 ro atque argento, quodque in speculo imaginem detre-  
 ctet videre cum tamen curet eam exacte pingi: de quo  
 posteriore longe rectius differit Apuleius in *Apologe-  
 zico*) nonnulla tamen plane insignia & laude dignissima, in  
 quibus graviter impegere etiam proximi antecessores.



Sed hæc plurimum adhuc absunt à solida Curia reformatione, imo etiam ab illa quam Paulo III commendavere delecti aliquot Cardinales, quorum consilium superest. Ne quid dicam, quantum hæc remota sint ab emendatione immanis superstitionis, & perversorum dogmatum quibus ipsa Ecclesia vestra Romana laborat. Speramus nihilominus, non omissurum Alexandrum, quicquid ad emendationem Ecclesie sue ipse possit præstare. imo ut boni multum præstet, Deum obsecramus. Euge! Liceat tandem aliquando vere exclamare:

*Servet jam Roma pudorem;*

*Tertius è cælo cecidit Cato.*

De Alexandro autem *Capite* electo universi orbis, nullo discrimine universos gaudere, quam ridicula est Viti jaçtancia! Quantula enim pars illum aestimat? Mirum vero, Ecclesiam & mundum potuisse esse salvum nondum electo illo *capite*. Clamat Forerus Iesuita: *quid homo sine capite?* Nos scimus hominem sine capite vivere non posse: Ecclesiam vero fuisse salvam etsi per nonaginta dies caruerit nuper Papa: ac proinde Papam non esse æque necessarium Ecclesie quemadmodum caput est homini.

Postremo Vitus Alexandrum laudat ut *Christi Vicarium*, idque (fateor) non adulatorie: cum nec Alexander ipse dubitaverit talem se orbi venditare in sua nuperrima Jubilæi bulla, & divinæ illius vicariæ potestatis obtentu, ex *thesauro Ecclesie* (quem tamen & Sacræ literæ & omnia prisca Ecclesie monumenta ignorant, imo tacite damnant) depromere viventium in usum criminum commissorum indulgentias sic satis liberales, (h. e. *vetera Pontificum ad parandam pecuniam instrumenta*, ut Paulus Jovius loquebatur *l. 4. de Vita Leonis X*) fortasse non multo post



post ejusdem potestatis prætextu in usum mortuorum  
 novas indulgentias (ne desit auri & argenti copia, cujus  
 nihil erat S. Petro) largiturus. Verum ut in hac laudatione  
 Vitus cavet sibi à parasitica, ita nihil dixit magis à vero  
 alienum. Magnum Principem agnoscimus & nos Alexan-  
 drum: constitutum etiam fatemur Episcoporum suæ  
 Ecclesiæ Episcopum, atque adeo Maximum Pontificem.  
 Nihil hætenus occurrit quod superet humanam sortem.  
 Munera enim hæc ab institutis hominum dependent eo-  
 rumque arbitrarijs legibus. At Vicarium Dei constituere  
 scimus esse solius Dei, aut certe eorum quibus hanc po-  
 restatem Deus fecit: nec qui sapit potest quem ut Dei  
 Vicarium admittere, nisi in promptu sint documenta  
 omni exceptione majora divini placiti: qualia singulis  
 Prophetis & Apostolis, legatione tantum divina functu-  
 ris, Deus numquam denegavit. Hæc inquam scimus:  
 edocti ita ab ipsa natura, à sana ratione, ex ijs sine quibus  
 & societas & certa fides inter homines sibi non constat.  
 At vero immediate quidem à Deo Vicariam dignitatem  
 esse Alexandro commissam, nec Vitus nec quisquam di-  
 xerit. Nec Cardinalium quisquam tantæ sibi divinitus  
 datæ potestatis, eligendi sc. Vicarium Dei, vel levissimum  
 potest documentum exhibere. Ipse Alexander, hæte-  
 nus quidem, nec miraculo aliquo edito nec productis di-  
 vinis tabulis, imo nullo plane testimonio divino, Vica-  
 rium illud munus cuiquam approbavit. Sed nec impo-  
 sterum id (scio) probare poterit; quemadmodum id hæte-  
 nus nemo Paparum potuit. Tantum abest igitur illum à  
 Christo esse datum orbi terrarum Vicarium, ut sit reapse  
 Pseudopropheta, & omnis intelligens pius & Christia-  
 nus non minus averfari illum, hac quidem in re, debeat  
 atque



atque in republ. merito omnes averſamur quemvis falſo ſe ferentem vel Legatum vel Vicarium noſtrorum Regum & Principum: imo oportet illum eo magis averſari, quo plus debemus Deo quam Regibus, quo gravius crimen eſt Deſe legatum & Vicarium falſo venditare quam hominum, & poſtremo quo majore cum damno conjunctum eſt Pſeudoprophetaſ admittere quam mentitum aliquem Proregem. *Hac aſo in re* par eſt illum averſari: eſi illum tanquam Magnum Principem etiam nos veneremur. Perinde ſc. ac Turcam colimus pariter & deteſtamur. Velim vero ( quoniam adeo facilis fuit in admittendo illo nullis documentis inſtructo Vicario meus Vitus) doceat Vitus, qui Papa hic ſimul & Vicarium Chriſti & ſeptimum Alexandrum poſſit ſeſe venditare. nulla admiſſa in adjecto contradictione. Nec enim po- teſt eſſe *ſeptimus* Alexandrini nominis niſi admiſſa Conci- lij Piſani auctoritate, atque adeo ipſe ſtatuat Concilium ſupra Papam eſſe, ceu jam tum ſupra indicavimus: at illo poſito non eſt Papa vere Chriſti Vicarius: indignum quippe eſt Vicedeatu infra Epiſcoporum conventus eſſe, quod adverſus Sorbonam recte haſtenus urſerunt omnes Pontificij Vicariatus patroni. Dignus ſane hic nodus eſt vindice, ſaltim ſubtili illo & magno Vito meo, ſi non Alexandro ipſo.

Et vero quis non dicat Vitum *ſubtilem*? Vovet, ut Alexander *excedat* vel certe *accedat ad annos Petri*, idque non ut *Pater*, non ut *Pontifex*, non ut *Caput univerſi orbis*, ſed duntaxat ut *Chriſti Vicarius*. Quasi Chriſti Vicarius ſi non eſſet eo voto foret indignus. Inſignem ſubtilitatem! Atqui (niſi fallor) Petri ille ſucceſſor creditur etiam qua  
eſt



est Pontifex, & qua est caput universi orbis: quidni itaque etiam talis diu fungatur suo munere? Sed & cum arcana majorum traditione feratur, neminem Paparum annos Petri æquaturum, quî audet Vitus, rigidus ille *πατρη-  
εγδόσεων* magister, vovere ut annos illos Alexander excedat?

Non annos illos Petri ignoramus: nec Vicarium Christi quenquam mortalium admittimus, quod olim tamen Christiani Cæsaribus nos precamur Alexandro Principi, *vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes adversus vim omnem iniquam, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis* (non Pseudovicarij qui *non homo non Deus est medium quid at inter utrumque* ut tradit glossa Iuris canonici) & *Principis vota sunt*. Precamur eidem, ut si successor est Petri, ejus exemplo non ficto, non fucato pectore, unum magistrum, & unum Salvatorem *amet Christum*, quo sicut ille trina amoris sui promissione quasi expiavit trinam abnegationem & jussus est denuo pascere oves Christi ita & ille Petri exemplo ac monito pascat commissum gregem, *providens non coacte sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia sed voluntate, neq; ut dominans in clericis, (sequutus antecessorum plærorumque vestigia) sed forma factus gregis ex animo, & cum apparuerit Princeps pastorum percipiat* (non fabulosam Constantini Cæsaris) sed *immarcescibilem gloria coronam*. Precamur, ut quemadmodum Petrus omnia reliquit quo Christum sequeretur expeditus, ita & ille spretis illecebris hujus mundi, ad Christum sequendum fiat idoneus. Precamur denique, ut tandem aliquando Romanæ Simonix Petrum imitatus imponat modum, nec pergat (ceu cæpit) indulgentijs ostentatis miseris

E

mor-



mortales emungere auro & argento in sui aliorumque perditionem, & quasi censum agere vel tributum exigere sub eleemosynæ specie in orbe universo. Hæc sunt vota nostra pro Alexandro: digniora, nisi fallor, quibus omnis populus AMEN, AMEN, AMEN accinat, quam illa Erbermanni.

Vale, mi Amice, & Salve plurimum.

Helmeſtadij in Acad. Iulia Anno *c i o r o c l v* ipſis ferijs S. Ioanni Baptiſtæ ſacris; qui non ante Legatum egit quam *factum ad illum eſſet verbum Domini*, quemque Deus non voluit ſine documento divino admitti Legatum, ſed jam ante ipſam conceptionem & in circumciſione omnique ſecuta ætate in id ſufficienter munivit, ſecus quam in Romanis illis Legatis & Vicarijs Chriſti obſervare eſt, qui tamen (ſi verum perhibent) Ioanne Baptiſta longe ſunt maiores.

### EMBOΛION

Epistolæ huic ultimam commodanti manum affertur tandem ipſe Erbermanni liber, prolixior quidem ille more tamen ſuo (quantum video) plane aliena agens ab ijs quæ moveram in Concuffione, imo & pleraque eorum, quæ in Examine tacta erant, diſſimulans. Quo fructu diſputaveris cum tam vago, lubrico, legumque diſputandi vel imperito vel negligente Vitilitigatore? Vbi tamen paulum otij fuero nactus, (nec enim fas eſt ſerijs negotijs aliquid temporis in hos uſus ſurripere) caſtigabo & illas hominis ineptias, ſaltim ne ſibi & indoctis Zelotis videatur ſapere. Iterum te Valere opto,

Amice cariffime.

F I N I S.

BENE-



## BENEVOLO LECTORI

**E**Ntibi & ipsam illā quam voluit esse suo Exa-  
 mini Examinis Appendicem Jesuita Erber-  
 mannus. Subjungo vero illam more meo, ut eo  
 promptius tibi sit de illa quæ inter nos versatur  
 controversia arbitrari; atq; adeo, num Vitus  
 satis bene opposuerit sese illis meis quæ petiit, num  
 ostenderit nuperrima Papalia comitia sine facti-  
 onibus & secularibus Cardinalium desideriis fu-  
 isse instituta, & deniq; an non Socio & Theologo  
 imo viro gravi indignam adulationem in lau-  
 dando Alexandro VII Papa commiserit, ut in-  
 quam hæc queas facili negotio judicare. Video  
 etiam, etsi vehementer properaverit illa Appen-  
 dix, tamen ipsum Erbermanni librum in Nundi-  
 nis Francofurtensibus assequi non potuisse, atq; ita  
 passim librū illū prostare sine illa nobilii Appendi-  
 ce, frustra etiā ejus nova editione vicinos nostros  
 Socios conatos tantum damnum, hisce in oris re-  
 sarcire: ac proinde rem me ipsi Vito ejusq; bo-  
 nis nonnullis Sociis gratam isthac repetita mea  
 publicatione præstiturum confido. Nihil nimi-



rum suavis illis hominibus videtur magis esse  
 in votis, quam ut novo Papæ studia sua probent,  
 (temporalis an spiritualis boni obtinendi causa,  
 ipsi omnium rectissime norunt) cui desiderio il-  
 lorum equidem haud obstabo. Suaserim tamen,  
 ne dum gratiam curiæ aucupantur, prudentibus  
 se faciant ridiculos inepta Domini laudatione.  
 Sicut nuper vicinorum nonnemo etiam illud in  
 singularem Alexandri commendationem præter  
 alias gerras haud dubitavit referre, quod ter ac-  
 censa coram Pontifice stuppa acclamatum sit:  
 Pater Sancte sic transit gloria mundi: ignorans  
 forte hanc communem esse omnibus Paparum  
 consecrationibus ceremoniam in capella S. Gre-  
 gorii. B. V.

EMENDANDA. Pag. 3. l. 20. ille mihi. P. 5. l. 15. Indices l. 22. κλάνειν  
 P. 12. l. in cenaculo. P. 33. l. 7. Nos annos p. 35. l. 17. nobili.

EXA-





EXAMINIS CONRINGIANI  
APPENDIX,  
DE  
ELECTIONE PAPÆ.

**V**ix absolutum à prælo meum EXAMEN, ad Mercatum Francofurtensem secundo Mœno defluebat; cùm ecce! advolat è Iulia Saxonica virulentum & mordax D. Conringii ad Epistolam P. Valeriani M. Capuccini Responsum. Ad hujus calcem ita benevolum Lectorem affatur: (Præter ea quæ Valeriano respondi, rogo Te etiam atque etiam, attendas diligenter ad ea, quæ nunc adeo dum hæc scribo Romæ agitantur. Viduata est Sedes Papalis per mortem Innocentii X. suo Episcopo, agiturq; iam in Conclavi inter Cardinales de novo Papa eligendo, idque magno animorum æstu, & per factiones, non quò inveniant Episcopum peritiâ rerum sacrarum, & vitæ sanctimoniâ eximium, sed quisit commodus Magnorum Regum ac Principum, ut & Cardinalium secularibus desideriis. Num verisimile cui videatur, posse principium Fidei Christianæ, & caput quò unice animanda est Ecclesia, interdum planè nullum reperiri, salvâ interim Ecclesiâ illâ & Fide? Num hominem caducum & mortalem verisimile sit fundamentum esse perpetui corporis, quale est S. DEI Ecclesia? Num, quem Cardinales eligunt Papam, illum DEVS iure tenetur agnoscere suum in terris infallibilem Vicarium? Num DEVS promisit id sese facturum? Num verosimile est Spiritu sancto afflari hodie Cardinales in factiones illas, & in illa consilia de inveniando commodo suis desideriis Pontifice? Num ad illum modum Apostolos & Prophetas DEVS opt. max. misit in hunc mundum? Num in hisce Papparum electionibus quidquam videas



*vel minimum, quale non soleat fieri in electionibus maxime secularibus, & ubi interdum homines indignissimi adsumma? )* Hæc sunt quæ Medicus ille (sui semper similis) intrepidè, imprudenter imò impudenter ex abundantia cordis & stomachi sui eructat; quorū non potest non illummet pœnitere jam nunc & pudere, nisi fortè unà cum fronte mentem omnem exuerit. Nimirū tunc adeò, dum Ipse rumusculos, in officina Pasquini & Marphorei enatos, velut Cæcias nubes, captat attrahitque, nec sine auctario iniquissima famæ mendacia typis evulgat; Sacrum Purpuratorum Conclave suam pariter innocentiam & Apostolicæ Sedis gloriam Vrbi & Orbi ipso facto luculentissimè vindicavit. Quid clarius? annon fumos illos, quos de *Factionibus*, de *animorum astu*, de *secularibus Cardinalium desideriis*, &c. maledicus ille Medicus exhalavit, mira illa, rara, & cacodoxis omnibus planè inimitabilis suffragantium concordia splendidissimi Solis instar penitus dissipavit? Coëat vel sola Saxonia Luthero & Augustanæ Confessioni mancipata; simile quid tentet Cadmæa fraternitas: sat scio, risum pro plausu feret. Usque adeò verum habet scitum illud Græcorum: *γαρόν ἐστὶ μωμείδαι ἢ μωμείδαι*. Neque tamen in sola illa animorum consensione laus omnis est; uti nec quævis votorum discrepantia reprehensionem meretur. Non modò inter viros sanctos, sed & inter beatas mentes aliquod subinde potest sententiarum esse divortium. Nunquid ipse *regni Persarum Princeps* (beatus licèt, nec dum tamen decreti divini conscius) *restitit* Archangelo Gabrieli *vinginti & uno diebus*? *Daniel. 10. v. 13.* Nōne *Ioannem cognomento Marcum*, quem *Barnabas* volebat *secum assumere*, *Doctor Gentium* rogabat *non debere recipi*? *Facta est autem dissensio* (*ἡ ἀγοζυσιμὸς*, exacerbatio) *ita ut discederent ab invicem*: & *Barnabas* quidem *assumpto Marco* *navigaret Cyprum*; *Paulus autem electo Seleper* *ambularet Syriam & Ciliciam*, &c. *Act. 15.* Hoc te, profane Medice, à sancto haustum Medico & Evangelistâ documentum par erat considerare; & ita comprimere impudentem crisis, quâ te non tam in Vaticani secreta Conclavis, quàm in ipsa cogitationum & in-



& intentionum cordis arcana penetrare haud erubuiſti. Aequus & prudens arbiter etiam cum perſpicue cernit in una eademque re per ſe non mala promovenda ac diſturbanda judiciorum voluntatumque diſſidium, non temere alterutram, vel etiam utramque concertantium partem condemnat; memor quod licet exitum fortiri non poſſit utraque fieri tamen poſſit, ut DEVS pro ſe velit utramque conari. Quid ergo, inquis, tam operosa & fere ad trimēſtre extracta Conquiſitione opus erat? Vin' dicam?

*Quaſi*ere PONTIFICEM OPTIMUM:

*Et invenerunt*, in Em.<sup>mo</sup> D. FABIO CHISIO,

ALEXANDRUM MAXIMUM.

Intentionem cordis operis exequitio manifeſtat. Eo difficilius videbatur Electio, quod plures ad illud Orbis faſtigium cenſebantur idonei. Quod ab aliquot retrò ſeculis non vidit Roma, nuperrimum Conclave ſpectandum dedit. Supra viginti numerabat, quos in S. PETRI Sede collocare poterat ex merito, ſi non Concurſu, ſed Succeſſione peragenda res foret. Cum igitur tot tantique Electores, è tot Eminentiffimis Papatu dignis, *ὁμοθυμαδὸν* elegerint D. FABIUM, velut omnibus Ingenio, Eruditione, Pietate, Prudentia, Gloria eminentiorem; nunquid (vel ipſo te, *Mome Iulianae*, iudice) dicendi ſunt talem tantumque Paſtorem per id temporis ſtudioſè perquiſiſſe? niſi fortè malis fateri, in Ejus tam unanimem electionem *Spiritus ſancti afflatu* illos eſſe impulſos. Enimverò velle hominibus mente non captis perſuadere, in eligendo hoc Pontifice DD. Cardinales ſtudiſſe *ſuis Magnorumque Regum ſecularibus deſideriis & commodis*, nescio an poſſit in mentem venire homini non amenti, nec rerum penitus ignaro. Sanè quidem ipſis tredecim annis, in Germania ILLE noſtra (ac præcipue in Pacis univerſalis



salis Tractatibus, velut in Europæ theatro ) ita heroicarum Virtutum radiis omnium oculos perstrinxit, ut nec hostes quidem Acatholici haberent, quod carperent; nisi Pietatem, Zelum, ceteraque Catholica Romanaque decora, more suo, liberet arrodere. Tantum autem abest, ut sperarent ( si qui sunt seculi quam Dei amantiore ) suis FABIIUM desideriiis velificaturum, ut si quidquam deterrere eos à suffragando posset, hoc unum videretur, quòd nossent, esse FABIIUM CHISIUM VIRUM SECUNDUM COR DEI, Patronum Virtutis & proborum amabilissimum, Vitii verò & secularium desideriorum Hostem Vindicemque acerrimum; tam parcum in se quam prodigum in miseros; tam laudum suarum fastidiosum auditorem, quam operum sanctorum æmulatorem studiosum, &c. Hæc & similia non solum è fide dignissimorum relatione, & famâ communi, sed & proprio experimento habeo compertissima; testisque retineo epistolas, quas IPSE, pro incredibili suâ Humanitate, ad me immentem dare dignatus est à decennio haud infrequentes, nihil adeò nisi exquisitam Virtutem & Eruditionem spirantes. Vnde me quoque haud leviter obstrictum sentio, ut in hoc communi bonorum omnium applausu, novè Electo hoc quaecunquæ Gratitude pignus, & æternum-devotæ mentis anathéma heic appendam:



ALE-





ALEXANDER SEPTIMUS  
 è CHISIORVM FAMILIA  
 PONTIFEX MAXIMUS.

JVre ALEXANDER; MAXIMVS merito:  
 Prius *Magnus* quàm *Alexander*;  
 Et in hoc MAGNO ALEXANDRO major;  
 Quòd hic nasceretur *Alexander*, magnus fieret;  
 Iste pænè natus est *Magnus*: *Alexander* creatus.

Magni certè EUM semper fecit Italia:  
 Hinc in Regionem ferè mundo parem,  
 Cæsareo folio inclytam,  
 Tot Regiis, quot Deorum Mater turribus, augustam;  
 Magnorum facinorum capax Theatrum,

GERMANIAM,

*Nuntium delegavit:*

AD Ecclesiæ totius incolumitatem,  
 Ad Romani Imperij,  
 Ad tot Regnorum, quot Europa amplectitur, salutem  
 Fulciendam, si vacillaret;  
 Procurandam, si moraretur.  
 Et constituit in tot hominum,  
 Quàm sapientium, tam dissentientium Concilio  
 Arbitrum;  
 Et Controversiæ difficillimæ  
 Definitorem.

MAGNUM delegavit ad MAGNA.

Et *Magna* necesse sit *Anima*,  
 Quæ tot tantarúmque rerum una sit capax;

F

Ad



Ad quas aspirare, paucorum audent Ingenia.

Accedere, vix unius valet industria.

*Magnam hanc Animam* experta est annos tredecim

**G E R M A N I A;**

Simul tam perspicacem,

Quæ & similtates, & simulationes adverteret

Politicorum:

Tam industriam,

Quæ eorum artes arte novâ detegeret;

Tam sinceram,

Quæ fraudes sine fraude explicaret,

Tam simplicem ut decipiat,

Quàm non simplicem ut decipiatur:

Tam liberalem,

Quæ in omnes se effundat, sui semper oblita.

Vidit constantem Iusti æquique rigorem;

Amicorum sæpe precibus oratum, non exoratum:

Oppugnatum adversariorum sententiis, non expugnatum:

Pollicitis allectum, non illectum:

Muneribus tentatum, non motum,

Vt Ecclesiæ jura negligeret,

Vt fœdera divinis humanisve legibus contraria

Probaret,

Nullum pondus inflectere potuit.

Quam animi constantiam

Cùm admirarentur omnes, pauci fortè amarent,

Aversari non potuit ullus.

**N Æ M A G N U S E S T,**

Qui offendere non possit, etiam cùm offendat!

Ea scilicet vitæ integritas, ea comitas,

Ea Scientiæ & Prudentiæ species

Eluxit,

Quam



Quam Orthodoxi amare cogentur,  
 Hostes non possent odisse;  
 Imò mirarentur,

Suis in eo nihil odiis dignum reperiri;  
 Occurrere verò multa vel inimicis,  
 Iisque invitis commendanda.

Hoc scilicet Salomonis est oraculum,  
 Quod cubo quadrato olim inscripsit Ipse:

QVI AMBVLAT SIMPLICITER,  
 AMBVLAT CONFIDENTER.

Spe suâ non frustratam ITALIAM, testata est  
 GERMANIA:

QVæ, quia MAGNUM accepit, & MAIOREM experta,  
 Si non præfagivit, certè optavit  
 MAXIMUM.

Votis annuit ROMA:

Ab expeditione Magnâ Reducem,  
 Dum rogaret ad Neritonensis suæ Ecclesiæ latebras  
 A splendido munere secessum;  
 Purpura Eum accendit, ut luceret.  
 Vix triennio luxit inter Patres Purpuratos Romæ,  
 Extincto INNOCENTIO X.

*Supra modium posuit, ut luceret omnibus, qui in domo sunt*

LUX MUNDI  
 ALEXANDER SEPTIMUS.

*Hoc Patre*

Quid sibi non speret Germania?  
 Quem sui tam amantem habuit Patronum.

*Hoc*



QX Ti 1710

44

*Hoc Pontifice*

Quid non fortunatum sibi spondeat Ecclesia?  
Quem in negotiis difficillimis tam expeditum experta  
Nuntium.

*Hoc Capite*

Quid non magni expectet Orbis universus?  
De cuius electione nullo discrimine gaudent  
VNIVERSI.

*Hoc CHRISTI Vicario*

Quid amplius voveant fideles?  
Quàm ut excedat (vel certè accedat  
AD) ANNOS PETRI,  
AMEN! AMEN!  
AMEN!



Worm

h. J.





R.H.  
419,  
33

HERMA  
EPI

ALEX

Opt  
EXAMINI  
*Access*

Typis HENNI

720  
Πι  
1710

OTHECA  
AVIANA

BIBLIOTHEK  
ALLE  
(GAALLE)  
UND

